

/ Reverendissime Antistes, et Illustrissime Princeps. Non ignoro Illustrissimam, et Reverendissimam D. Vestram multa pietate, et singulari prudentia ex Dei dono pollere; proinde ea plane perspicere, quanti referat conservandam, et propagandam fidem catholicam, nec non ad 5 statum Reipublicae politicae Principum catholicorum in istis partibus stabiliendum, dare omnem operam, ut hostes fidei non prevaleant adversus Illustrissimum D. Palatinum Vvolfgangum Vvillelmum, qui nuper, cum exultatione universae terrae nostrae, fidem orthodoxam ex corde amplexus, et publice professus est. Quamvis autem haec non 10 ignorem, rogatus tamen ab amicis, ut adderem verbum exhortationis, nolui deesse officio Sacerdotis Christiani, et vere senioris, non solum ordine, sed etiam aetate. Alloquor autem praecipue Illustrissimam Amplitudinem vestram, quoniam intelligo in ejus potestate esse disponere, ac dirigere graviora negotia Germanicae nationis, et 15 Principum Imperii. Commendo igitur, quanto maximo studio, et ardore possum, causam Principis Vvolfgangi, ut qui exemplo suo multos alios Principes ad verae fidei portum invitavit; non confundatur, neque erubescat, neque alios ab imitatione sua deterreat, si forte desertus a domesticis fidei, naufragium facere cogatur; praesertim cum causa 20 ipsius cum causa vicinorum Principum catholicorum ita conjuncta sit, ut non possit ipse, sine periculo aliorum, dictione sibi debita spoliari. Sed quod maxime animum meum dolore acutissimo vulnerat, et excruciat, illud est, quod si Ducatus Juliae, et Cliviae in potestate haereticorum Principum veniant, actum erit de salute multarum 25 milium animarum, Christi sanguine redemptarum; quae plane conservarentur, si a Catholico Principe nostro Palatino Vvolfango, cum piissima ejus Coniuge gubernarentur. Et quidem Summus Pontifex noster non deerit officio suo tum litteris ad exhortandos Principes catholicos, tum etiam pecuniis ad armandos milites; sed non potest ipse solus 30 tanta subsidia praebere, quanta nonnulli exigunt, cum undique ad eum, ut ad communem parentem, accurratur ex Germania, Hungaria, Polonia,

/ Anglia, Scotia, Graecia, Syria, ex ipsis Indiis, atque ultimis Japonibus. Si res agatur conjunctis animis et viribus, et si fiducia in Deo et causae bonitate ponatur, vix dubitari potest, quin pro voto successura sint omnia. Nolo diutius molestus esse Illustrissimo et  
5 Reverendissimo Domino meo, cui a Domino Deo mercedem plenam sanctorum laborum, et gloriae coronam splendidissimam precor, meque ad ejus obsequium paratissimum offero. Romae die 24 Junii 1614.

---

Epist. famil. CXIII.